

_Lettera_N_4035

Al papa Leone XIII

*Taurini, die 24 maii 1884

Beatissime Pater,

Jam [un]decimus annus agitur, ex quo, Beatissime Pater, humilis societas a S. Francisco Salesio dicta, absolutam et specificam Constitutionum adprobationem consecuta est. Aliqua privilegia omnimode necessaria a Supremo Ecclesiae Antistite tunc elargita fuerunt. Hoc temporis decursu socii Salesiani toti in eo fuerunt, ut eorum Constitutiones ad praxim traducerent, novitiatum, studia perficerent; pietatis exercitia inter socios eorumque alumnos promoverent et ita societatis finem consequerentur qui gloria Dei, lucrumque animarumque semper fuit.

Post absolutam adprobationem, adiuvente Deo, factum est ut haec humilis societas, vere pusillus grex, mirum in modum citissime in diversas Italiae partes, in Galliam, in Hispaniam, in Americam Meridionalem usque ad Indos et ad Patagones sese extenderit.

Cum haec Congregatio suam adprobationem est consecuta, sexdecim domos dumtaxat habebat in quibus septem millia circiter adolescentuli christianam educationem habebant: socii tercentum adnumerabantur. |

Nunc vero domus sive familiae alumnorum sunt centum sexaginta sex; alumni externi et convittores sunt circiter centum quinquaginta millia; religiosi quadringenti supra mille.

Inter tot alumnos et socios, inter tot domus unam ab aliis tam dissitam magna difficultas exorta est ob deficientiam privilegiorum quibus caetera ecclesiastica instituta gaudere solent.

Peculiaris autem ratio hujusmodi privilegiorum extat pro Salesiana Congregatione. Nam nostra Privilegia cum alia ad tempus, alia conditionata, aliaque vivae vocis oraculo fuerunt concessa, crebrae et non leves difficultates in eorum praxi exortae sunt. Exempli gratia: Facultas litteras dimissoriales relaxandi ad decennium concessa anno 1874, die 3 Aprilis, hoc eodem anno et die est elapsa. Absque hujusmodi facultate quid agere poterit superior in Congregatione quae domorum communionem habeat?

Quas difficultates caeterae Congregationes explanare Generatim non potuerunt nisi per Privilegiorum communicationem.

Quapropter re mature perpensa, habito consilio a viro prudenti et auctoritate praedito, Privilegiorum Communicatio pernecessaria dijudicata fuit. Necessitas et rationes hujusmodi postulationis separatim exposita fuerunt.

Privilegiorum vero Communicatio alias fuit petita non in genere sed speciatim cum Oblatis Beatae Mariae Virginis quorum Congregatio definitivam adprobationem et Communicationem Privilegiorum cum Redemptoristis | obtinuit a felice recordatione Leone XII sub die 12 septembris 1826.

Nunc vero ob difficultatem exortam epitome inveniendi horum privilegiorum et cum ex Rescripto nuper citato apprime constet haec eadem esse hac privilegia Congregationis SS. Redemptoris humillime postulamus ut haec ipsa privilegia etiam, quae specialissima vocantur nostrae congregationi extendantur.

Hisce breviter adnotatis, Salesiani omnes ad pedes tuos provoluti, Beatissime Pater, supplices postulamus ut nostrae Congregationi per Communicationem concedas Privilegia, facultates, gratias spirituales, quibus generatim aliae Congregationes et nominatim Congregatio Oblatorum B. M. Virginis fruuntur.

Per hujusmodi communicationem, Beatissime Pater, Salesiana Societas tutam et cognitam viam habet quam sequatur; facillime Ordinariis Locorum innotescunt privilegia, quibus fruatur praecipue in Missionibus suscipiendis, et domibus in exteris regionibus adaperiendis.

Ob tale ac tantum beneficium Salesiani omnes grato animo Deo et Tibi

quotidie laudem dicent; unusquisque pro virili parte ad vineam Domini excolendam operam dabit. |

Ego vero videns solidatum opus, quod Sancta Dei Ecclesia mihi concredidit, cum gaudio cantabo: Nunc dimittis servum tuum, Domine.

Humillimus Sanctitatis Tuae Filius

Joannes Bosco Sacerdos